…mus Hieronymus

Potocka Helisabeth.

Tomicki Adami: Apollo togatus ad auspicatissimos hymenaeos – eductus.

APOLLO
TOGATVS,

AD

Auſpicatisſimos Hymenæos

Illuſtris & Magnifici Domini

ADAMI HIERONYMI

A GRANOW

SIENIAWSKI,

ET

Lectißimæ Sponſæ

HELIZABETH

POTOCIÆ,

Illuſtrißimorum & Magnificorum
DD. *Parentum*

STANISLAI à POTOK

POTOCKI

Palatini Podoliæ, Halicen: Colomien: &c.

CAPITANEI,

ET

SOPHIÆ de HVSIATYN,

KALINOWSKA,

FILIÆ.

A

B. ADAMO TOMIECKI, Artium Magiſtro Phil: Doct: & Profeſſore in Academia Crac: eductus.

LEOP: *In Offic: Michaelis Sloſka Arch: Typ: A. 1643. Feb: 15*

IN ARMA Illustrissimæ Prosapiæ, D. D. *SIENIAVIORVM*



Qui fit, cæruleo, quòd sola vagetur, in orbe,
Luna; carens socio, dux pia, noctis atræ.
Clara, SIENIAVIORVM, lustrans insignia, magnûm
Asciscit Comitem, Cynthia pulchra, sibi.
Terrenas veniens, cælo, præsciuit in oras,
Esset, si Phæbe, non benè, sola fore.

ANTIQVISSIMA
Illustrissimæ Domus
POTOCIORVM
INSIGNIA



ÆThereâ, prolapsum STEMMA SIENIAVIUS arce,
Gestat; sed Sponsæ, Stemma dedere, poli
Non Indos, solùm, ast cœlos, penetrare POTOCI,
Per gentes, latè, gloria fusa, docet.
Ex signis omen, liceat desumere, SPONSOS
Viuere concordes; Stemma par, ecce docet.

ILLVSTRI, ET MAGNIFICO DNO,

ADAMO HIERONYMO

A GRANOW

SIENIAWSKI,

Domino & Mæcenati literatorum amplissimo,

Perpetuam Felicitatem & omnia læta precatur.

APollinem togatum, in hoc auspicatissimo affinitatis nexu, in Tuum Illustris Domine & lectissimorum paranymphorum conspectum, producere libuit; quod eum solum antiquitas & serijs agendis, & lætis canendis, & armis tractandis, & consilijs dandis, atq; bonis propagandis, optimum semper iudicauerit authorem. Attribuit ei lyram, sed & clypeo cum sagittis, perpetuáq; iuuentâ affabrè adornauit, vt ciuis optimi lucidissimum in eo exprimeret exemplar: qui tempore pacis, consilio, belli verò, armis, & pectore, tutari debet patriam, nec in eius obsequio vnquam consenescere. Multi haud leuiter in campo virtutis desudârunt, Spartam tamen Apollinis togati nequaquam sunt consecuti. Tuis verò clarissimis Maioribus, cordi fuit, & lyra, id est, sanum consilium, & clypeus cum sagittis, nempè defensio patriæ: aderat & iuuentus perpetua, quâ præditus immortali laude dignissimus, venerandus ille senex, NICOLAVS SIENIAVIVS, Exercituum Regni Dux generalis, Palatinus Russiæ, hostium mucrones, iugulis nostris intentatos, multoties feliciter hebetauit. Quare & hic Apollo meus, tempori seruiens, non ingratus puto futurus sit, cum quod toga adornatus, concordiæ & tranquillitatis cum lectissimâ Sponsâ, manifestum præferat Symbolum: tum quod Maiores Tui, viuam eius, rebus multis præclarè gestis, non solùm adumbrarint sed etiam adamussim expresserint effigiem. Suscipe itaq; Musis gratum Apollinem, & diuturna felicitate, cum carissimâ Sponsâ, ad Familiæ, & Reipub. ornamentum, perfruere.

Illustris celsitudinis Tuæ,

Deuotus in obsequendum Cliens,

M. Adamus Tomiecki, Consistorij & V. Capituli Leopol: Notarius.

APOLLO
TOGATVS

Præclara Illustrium virorum facinora, eam promerentur apud mortales laudem, quæ nullis annosæ vetustatis sæculis, non furenti inuidiosorum rabie, aut crudelibus tyrannorum ictibus, ipsis etiam horrendis fulminum tormentis, potest labefactari. Parua mirandarum pyramidum, exigua fani Ephesiæ Dianæ, ducentorum viginti annorum spatio, immensis sumptibus constructi, nulla penitus mausolei, inter septem orbis miracula numerati extat memoria. Virorum verò Illustrium insignia gesta, quæ duce virtute, comite fortuna, sunt assecuti, tam fortem in animis omnium, efficiunt impressionem; Vt ea marmoreis tabulis vel cedro incisa crederes esse: quinimò exoptatâ quadam dulcedine, tantopere incendunt mentes hominum, vt Theseus nullum alium quàm Herculem, Themistocles vnum Miltiadem, Alexander magnus, Achillem, Iulius Cæsar, Alexandrum, Crassus Pompeium resq; ab eis præclarè multis in mundi partibus confectas, toto vitæ suæ cursu meditarentur. Semper enim virtus tanto profundiores radices in pectore virili defigit, quanto illustrius nomen & præmium apud seram posteritatem propositum contuetur. Non Annibalem prærupta saxa, aut Scipiones Græca fides, astusq; Sinonis, ab immensis laboribus, auocarunt, sola proposita laudis adorea, tantùm effecit, quantùm nec Caucasus ingens, sustinere valuit. Hæret in animis, non solùm proborum sed etiam vitijs deditorum, quinimò totum imperium occupat gloria, quam qui spernit, non hominis sed pecudis, effigiem præseferat est necesse. *Trahimur omnes laudis studio, & optimus quisq; maxime gloria ducitur* inquit Orator. Nec

enim vllum optimum factum constare potest, si proposito laborum suorum gloriâ, amplissimo præmio carebit? Nam cum omnia, partim senio confecta, partim viribus humanis fracta, labascunt, hæc *auidos effugit sola rogos*.

Quam perbellè considerantes, magni esse momenti, Illustres viri, alij eorum literis honestissimis, alij rei militari, alij laboribus grauissimis, alij condendis & conseruandis vrbibus alij propagandæ & tuendæ Reipublicæ finibus, insignem dederunt operam: vt hac ratione ob singularem in rebus agendis dexteritatem, immortalem apud mortales conciliarent sibi nominis existimationem. Ad comparandum huiusmodi insigne nomen, cum sexcentas à virtute monstrari Maiores vestri *Illustrissimi* Sponsi, animaduerterent vias, nullam earum prætermiserunt quâ aditus ad perennem assequendam famam patere posset. Non defuit eis fortitudo animi, non robur corporis, non in perquirendis studijs industria, non in peragendis rebus dexteritas, non domi consilium, non foris arma, adeò vt cum multæ vnicam faculam virtutis præferant gentes Illustris prosapia SIENIAVIORVM & POTOCIORVM omnes eorum splendores quodam modo videtur esse complexa: qui lâtè diffusi ob insignem tam cum principibus viris cognationem, quam etiam Reipublicæ tuendæ diligentiam, æternā pepererunt vestris nominibus immortalitatem. Quare cum non postrema ex societate legitime constituta, in Rempublicam proficiscatur felicitas, lausq; immensa in familias deriuetur; Liceat mihi angustia temporis constricto, ad auspicatissimam hymenæi aram, inter iucundissimos applausus, velut ex Apollinis oraculo, de vestro Sacrosancto Coniugij fœdere, comprimis laudabili, tum amicis & consanguineis gratissimo, Reipublicæq; & patriæ pernecessario verba facere; & quasdam delibare, cum omnes ne dicam difficile, sed impossibile sit enarrare virtutes.

Felicitatis comparandæ, cum plurima sapientissimi quique patefacerent argumenta, tum illud primas mihi videtur obtinere partes, quo prudentissimi nomothetæ, egregios iuuenes literarum studijs, & moribus perpolitos, ad Sacrum matrimonij fœdus ineundum, ex quo præcipua salus Reipublicæ dependet,

det, non solum propositis præmijs, sed etiam pœnis contra cælibes statutis sunt hortati. Lacedæmonij quidem tam graui mulctâ afficiebant, Matrimonij osores, vt eos spectaculis publicis, & omnibus magistratibus, ipso etiam honore in decrepitâ ætate senibus, à iuuentute præstari solito, cuius alioquin erant diligentissimi obseruatores, indignos iudicauerint. Et Epaminondam Thebani Ducem nobilissimum, quod solitariam vitam duxerit, obliti victoriarum, quas eius ductu consecuti erant, non ignominioso solum sed etiam mordaci scommate morientem lacesserunt, multoties ingratam cantilenam, *Hiccine amor Patriæ?* ingeminantes. Non minus diligentes, hac in re prudentiâ & rerum gestarum gloriâ, celeberrimos video Romanos, illi enim vt iuuentutem, ad præclara quæque capessenda in Republica alacrem redderent, virorum illustrium, qui vel patriæ pignora carissima, liberos nempè optimos reliquerint, vel fortiter dimicando, pro eadem occubuerint, aut saluberrimis consilijs, Rempublicam iuuando fatis concesserint, imagines cereas, in splendidissima ædium parte, collocabant, quæ postmodum circa aliquem celebrem triumphum, consulum prætextis, Censorum purpuris, Triumphalium aureis vestibus, ornatæ; & curru impositæ, cum securibus & fascibus, aliorumque præclare gestorum & magistratuum quibus perfunctus quisque erat, insignibus, in eburnea seu curuli sella, ad rostra collocatæ præferebantur. Quo insigni spectaculo tam ad conseruandam Rempublicam, quam alia admiranda virtutis specimina, exhibenda, Scæuolas, Decios, Brutos, aliosque innumeros excitarunt. M A R C V M Portium Catonem cum princeps esset Senâtus, accepimus, non permisisse vt magister equitum crearetur Rufus, ipsius Auunculus, licet honorem illum, Senatus ei decreuisset, quod gratiam fortitudine collectam, nexu coniugij firmare neglexisset, Nec mihi Augustus ille Imperator, abs re fecisse videtur, qui vt dignitatem præstantiamque, fæderatæ amicitiæ in precio se habere declarasset, *Nunquam iuueni sellam poni iubebat, aut maritum stantem dicere patiebatur.* Quis enim dignam illustribus viris eam non iudicauerit societatem? quæ est immortalitatis typus, humanæ vitæ conseruatrix, amicitiæ parens, fortitudinis ara, conti-

nentiæ & castitatis domicilium; virorum deniq; & virtutum omnium, amplissimum seminarium, hanc qui culpat, seipsum necesse est culpet. Tantis decoratam elogijs necessitudinem est quod vnusquisq; patriæ, Ciuis ILLVSTRIBVS SPONSIS ex intimo gratuletur pectore, quorum dignitatem si spectes, inuenies insignes boni publici propagandi heroes, fortissimos patriæ propugnatores, bellicosissimos contra quasuis hostiles copias duces, prudentissimos in consilijs dandis Senatores, æquissimos legum patriarum conseruatores, & custodes, in his enim virtutibus tantùm gens SIENIAVIORVM & POTOCIORVM semper excelluit.

Quantùm lenta solent, inter viburna, cupressi.

METellus ille ob decem res maximas, quas in votis habuit, & eis potitus est, magnæ felicitatis fuisse memoratur, videlicet quod primarius bellator esset, optimus Orator; fortissimus Imperator, auspicio suo rerum maximarum gestor, honorum summorum possessor, sapientiæ indagator, summus Senator, Pecuniæ magnæ bono modo inuentor, multorum liberorum parens, & claritate nulli secundus. Maiori nihilominus felicitate, si accuratiori mentis oculo, SIENIAVIOS contemplari voluerimus, abundare deprehendemus. Etenim non vni eorum sicut Metello, sed singulis SIENIAVIIS longè plura vota contigerunt, & eos iure quasi hæreditario sunt comitata. Quis negabit optimum bellatorem fuisse NICOLAVM SIENIAVIVM, Palatinum Russiæ, generalem exercitus Regni Ducem? qui grauibus multoties confectis bellis, hostium impetu compresso, salutem Reipublicæ velut alter Atlas felicissimè sustinuit, & conseruauit, hostesq; sanguinem nostrum sitientes, in nihilum redegit. De quo sanè & eius martio spiritu, magnanimis Fratribus, apud Cromerum luculentum extat elogium, qui in laudes Sigismundi Primi excurrens, sic Senatores alloquitur. *Ne ille quidem ignobiles victoriæ quæ compluribus alijs in locis, NICOLAI SIENIAVII viri fortis & magnanimi, qui nunc Palatinus Belsensis est ductu, & Fratrum eius Alexandri, & Procopij, opera partæ sunt.* Is idem Nicolaus, cum Carolum illum magnum

gnum Imperatorem Romanorum, qui filio ſuo habenas Imperij conceſsit, parùm ſe ob grauem ſenectam rebus gerendis ſentiens aptum, imitaretur: onuſq; æthna grauius, humeris ſuis deponere cuperet, & vt eum Rex exauctoraret poſtularet. Rex verò optimi Ducis dexteritatem, in bellis gerendis perſpectam habens, eundem hortaretur, vt ſuam operam vel propter filios, diutiùs Reipublicæ impenderet, & ſummum honorem in Succeſſorem transferret, reſpondiſſe fertur. *Filijs ſuis patere campum ſemper ad ſummos honores, modò eis ob virtutes digni cenſeantur.* O vocem non ſolùm inſigni oratore, ſed etiam ipſo tripode dignißimam, quâ non ſanguini, vt plerique ſolent, verùm virtuti, & benè meritis honores conferendos iudicauit. Non minor eius in tuendis finibus vigilantia eluxit, ad quam ſeſe frequenter, cohortabatur, nobili illo Auguſti Cæſaris dicto: *Stantem Imperatorem mori oportere.* Vnde ſatiùs ſemper ducebat, vitam ſuam periculis exponere, quam incurſionibus hoſtium patriam infeſtari permittere. Et quod de Boleslao Poloniæ Duce, cum Henrico Cæſare bellum gerente, Dlugoſſus refert, id SIENIAVIVS meretur elogium: *Adeò exercitum hoſtilem vexarat, afflixeratq́, vt nemo pabulatum prodire, nemo corpus ambulando recreare, nemo longius à caſtris recedere, ſine firmiſsimo armorum munimine auderet, quodlibet nemus, ſiluula, aut rubus, ſuſpecta habebantur in omni loco vmbroſo, SIENIAVIVS ſtare credebatur.* quo factum eſt vt multis in locis feliciſsimè dimicaſſet, & maximas res ſuo auſpicio geſsiſſet. Quare ſumma belli penes SIENIAVIOS multoties collocata, dignitatem eis pænè regalem attulit, cum omnes ſuas opes, libertates, vitam denique ipſam vniuerſa Reſpublica eiſdem, ad tuendum commiſerit, quo honore inſigniti, longè poſt ſe Metellum reliquerunt. Sapientiæ verò ſtudium, & ipſam ſapientiam, quis in eis non aduertet? quorum nutui diuerſis ingenijs conflatus obedit exercitus, imperata exequitur, & edicta ſacroſanctè obſeruat, ſuamque mentem, iam non ſuo, ſed Imperatoris regit iudicio.

Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

CYneas Oratorum nobiliſsimus, cuius eloquentia, plures

 ſe vr-

ſe vrbes cepiſſe, quàm armis expugnaſſe, Pyrrhus Epirotarum Rex non diffitebatur, quantis ingenij viribus, ad regendam multitudinem opus ſit, exemplo ſuo declarauit. Deleto Romano in Italia ad internecionem exercitu, Romam miſſus, de fœdere cum Senatu paciſcendo, ratus tam horrendo caſu, proſtratos Romanos, quam ſua eloquentia delinitos facile in Regis partem inflecti poſſe, vbi cum nihil penitùs effeciſſet, indignabundus *Belluam multorum capitum in cauſa fuiſſe*, renunciauit. Si enim in cicuranda vna auicula, multum induſtriæ collocamus, quantùm magis qui homini imperare vult? *quo nullum animal moroſius, nullum maiori arte tractandum, cuius ea natura eſt, vt facilius cæteris omnibus animantibꝰ imperitet, quam a ſui ſimilibus imperari patiatur*. optime Seneca. Nec eſt quod tantoperè miretur Herculem poſteritas, qui hydram lerneam, & indomita monſtra admirando quodã robore, compeſcuiſſe perhibetur; cum illi in maiorem longè veniant admirationem, qui variàs hominum mentes, ad iudicij libellam ponderando, vniuſcuiuſqꝫ ſatisfaciunt intentioni. *Magna res eſt vitam patriæ donare, maior liberos, maxima opes*, non inſcitè quidam protulit: has cum partim virtute maiorum ſuorum, pártim ob merita, Regum munificentia, & liberalitate ſatis amplas conſecuti eſſent, non luxui, ſed vſui, non prodigalitati, ſed liberalitati, non priuatis, ſed publicis, impenderunt negotiis. Eorum Familia nocuit nunquam, profuit ſemper Reipublicæ, & omnibus. Laudantur â Cromero Glogouienſes quod eradicata liberorum, à natura indita propenſione, quos Henricus Cæſar expugnando Ciuitatem, loco obſidum ab eis extorſerat, poſt induciarum tempus lapſum, fortiter eidem reſtitiſſent, & naturæ, & hoſti, pariter inexpugnabiles ſeſe, præbuiſſent; victa obſtupuit, pluſquã ferinam crudelitatem, & Imperator, & natura. Maiori laudũ encomio, eos efferendos nemo dubitabit, qui nulla penitus neceſsitate adacti, ſed amore patriæ inflammati, non ſolùm opes, vitam, ſed etiam liberos ipſos, liberè, pro incolummitate Reipublicæ conſeruanda grauiſsimis periculis expoſuerunt. Quemadmodum enim longè præſtantior cenſetur is, qui impunitate peccandi habita, omnem vitij labem ab animo auertit illo

tit illo; cui exclusa est ad malum occasio, ita qui pro Reipublicæ salute se, suaque omnia liberè offerunt, longè præstantiores sunt habendi ijs, qui durissimo necessitatis telo compulsi, aliqua tam pro sua, quam patriæ defensione aggrediuntur. Illustre Charonis Thebani fuit facinus, quod Pelopidæ suos in obsides dedit filios, nè patria veniret in hostium direptionem, at Illustrius Codri Atheniensium Regis, qui audito oraculo eorum saluam fore Rempublicam, quorum Rex prius occubuisset, gregarii militis habitu assumpto, in hostium manus venit, vitamque Reipublicæ, nece sua comparauit. Liceat iam irretorto oculo, Magni Ducis SIENIAVII intueri filios qui vitam suam, sine Reipublicæ salute, non vitam sed mortem turpissimam semper existimabant. Quid aliud volunt IOANNIS, HIERONYMI, RAPHAELIS, NICOLAI Castellani Camenecensis, Copiarum Regni Præfecti, crebræ cũ Valachis & Tartaris concertationes? grauissimi exantlati labores? profusi erga exercitum Reipublicæ causa sumptus? quam Reipublicæ salutem sua fuisse potiorem.

Hi rigidos persæpe Scythas, Valachosque feroces,
Soli; victrici perdomuere manu.

NOn commemoro PROCOPIVM Marschalcum Regni, & ALEXANDRVM germanos fratres, viros & toga & sago clarissimos, Taceo HIERONYMVM Palatinum Russiæ, cuius si præclare gesta in medium adducere vellem, longiorem Iliade Homeri exposcerent orationem; vnica vt cæteras sera posteritate dignissimas prætercam virtutes, in consilijs dandis maior ipso Catone eluxit prudentia: Nam is summam laudem inde consecutus fuit, quòd Pompeium cum Metello Tribunoplebis qui armatis circumfusa curia militibus, sese pro Tribunali sedentes, non dirempturos opinabantur, medium inter vtrumque locum sibi vendicans diremit: consiliumque vtriusque perniciosum in nihilum redegit. Noster verò Palatinus non duos fortissimos viros, sed totum Reipubli-

cæ corpus, quod exulceratum varijs dissensionum vulneribus, sub tempus interregni Henrici Regis, ad curandum ab vniuersa Rusia oblatum habebat, prudenti consilio sanauit, & fluctuantem dissensionum procellis multitudinem, feliciter conseruauit. Quod si mentem meā ad te Illustris SPONSE conuerte o, occurret statim omnium sæculorum memoria dignissimus Parens Tuus, PROCOPIVS VEXILLIFER Regni, cū magnanimis ALEXANDRO & NICOLAO Pocillatore Regni Fratribus, qui nihil carius habētes patriâ, strenuè contra immanissimum Turcam ad Chocimum dimicarunt, & ingenti robore numerosis hostium copijs, summū terrorem incusserunt. Ingemuit hostili mente instructus Cantimirus, dum Optimi Parentis Tui dextera à populandis Regni finibus fugatus, ad inculta pedem referre cogeretur telqua. Agrippam illum Menenium, quod plebem conci tatam oratione sua ad tranquillitatem reduxisset, Romana Re publica summo in honore habuit, eumq; veluti Ciceronem cum Catilinæ conatus, facundia sua fregisset patrem Pa triæ appellauit: qui merito à Regno hoc florentissimo, Illustribus Parenti Tuo & Nicolao Pocillatori debetur, ob sedatam illam, qua nihil perniciosius Reipublicæ euenire potest, confæderatorum in perniciem patriæ rebellionem: qui humana & diuina prosternentes, certissimum Reipublicæ, ni summa eloquentia & liberalitate deliniti essent portendebant ruinā. Decebat Optimi parentis HIERONYMI Pocillatoris Regni Aui Tui, qui contra Multanos, cum tribus Millibus & Sexcentis Ioanni Zamolcio Comes aderat, decebat inquam optimos filios, fortitudinis & rei militaris cæterarumque virtutum veros fieri imitatores; vt partam maiorum sanguine Rusia tranquillitatem posterorum virture posset conseruare. De quâ disertissimum audiamus Orzechouium. *Eorum* inquit *opera Rusia afflicta, ac anniuersario hoste pænè deleta, requiescit nunc, ac nouis colonijs solitudines suas complet, ac instaurat, ita vt post hominum memoriam, cultior Rußia nunquam fuerit, quam nunc est SIENIAVIORVM & aliorum fortium virorum opera: quorum virtute ad hanc rem Rußia stetit.* Tam Illustrium virorum & virtutum GRANAWSCIORVM

seu

seu SIENIAVIORVM hæredem dum conspicimus, veram imaginem in Te vno omnium adamussim expressam deprehendimus, adeò vt omnes qui nouerunt maiores Tuos, in Te eos recognoscant: qui verò non nouerunt in Te agnitos habeant. Nam cum optime perspexisset prudentissima matronarum Magnifica CATHARINA de Sztemberg Auia Tua Carissima, quæ Parentũ locò diuinitus Tibi est commodata, vberes fructus virtutum sine literarum culturâ consequi non posse, continuo illam Ludouici Vndecimi Galliarum Regis, non regiam vocem spernere Te docuit, qui Carolum filiũ, nihil ex omnibus artibus scire voluit, præter vnum vetustate communi tritum prouerbium: *Qui nescit dissimulare nescit regnare*, atque honestissimis disciplinis, in illo scientiarum Emporio, quod Rempublicam optimis legibus, Senatum prudentissimis consilijs, Patriam firmissimis præsidijs instruxit, Academiam Cracouiensem intelligo, magnficè erudiri curauit. In qua cum summa diligentia aliquot annorum spatio versareris, non mediocre æmulantibus addebas incitamentum. Hæserat illud in pectore magnanimo, Vespasiani opera doctissimorum Præceptorum instillatum dictum, quod ad iuuenem quendam nobilem, cui præfecturam contulerat, viso eo odoribus delibuto, protulisse memoratur: *Maluissem* inquit *allium quam vnguenta oboluisses*, eundemque à præfecturâ amouit. Proinde non cuticulæ curandæ, sed mẽti excolendæ diligenter insudasti, nihilque quod ad pietatem colendam, liberalitatem exercendam, temperantiam consequendam, prudentiam addiscendam, aliasque insigni viro dignas dotes, prætermisisti: ipso Diuorum Tutelarium, prosapiæ Tuæ NICOLAI & HIERONYMI incitatus exemplo. Quare omnium in Te oculi sunt conuersi, siue propter gratam clarissimorum maiorum Tuorum memoriam, siue propter singulares & admirabiles virtutes, quas intueri sine voluptate nemo potest, attribuentes nostris, quantum antiquis attribuebamus temporibus. Nemo est qui non admiretur in Te innatam á naturâ maiestatem, à literis sagax iudicium, rerumque multarum cognitionem; Abstulit alijs tam fortuna quam natura beneficia, Tibi benignè contulit. Non potuit

tuit aliam excelsa indoles ambire Sponsam, præter eam quæ maiorum splendore esset clarissima, virtutum amantissima, prudentiæ custos integerrima, pietatis studiosissima, ne si alios expetiisset thoros, â maiorum suorum degenerare videretur exemplis. Nam & Agidem Lacedœmoniorum Regem, ab Ephoris multatum fuisse didicimus, quòd pusillam vxorem duxisset, quæ Regulos non Reges gigneret. Assumpserat sociam vitæ Illustris Tuus Parens, ANNAM EVPHROSINAM, prudentissimi illius Senatoris ALEXANDRI Chotkieuicij Palatini Trocensis, Magni verò CAROLI Chotkievicij Exercituum Ducis è Fratre filiam: Carissimum imitatus Parentem Auum Tuum, qui lumen virtutum CATHARINAM de Sztemberg, IOANNE KOSTKA, Palatino Sendomiriensi ad sceptra Regni ob Regias virtutes candidato, progenitam, germanam Pientissimæ olim ANNÆ Coniugis, Magnifici ALEXANDRI Ducis in Ostrog sibi associauit. Ad Te iure meritissimo spectabat, cum illâ familiâ affinitatem inire, quæ victoriam trophæis, Senatorum laticlauijs, propugnatorum obeliscis, semper claruit. Sunt in conspectu Illustrissimi STANISLAVS POTOCIVS Palatinus Podoliæ, Haliciensis Colomiensis Præfectus, & insigni probitatis splendore coruscans, SOPHIA de Husiatin KALINOWSKA Coniux integerrima, Carissimi spectatæ virtutis Illustris HELIZABETH Sponsæ Tuæ PARENTES. In quibus quid prius mirari debeam, dubius ancepsque hæreo. Nam si trophæa scitabor, immanes Turcæ, feroces Valachi, crudeles Tartari, atroces Sueci, fidefragi Moschi, perduelles Cosaci, sexcenta, victi fugatique detulêre. Si oculos ad Curules sellas conuertero. Prudentissimus ANDREAS Nouæ Nuptæ Auus, Castellanus Camenecensis, cum IACOBO, IOANNE, STEPHANO, Illustrissimis Fratribus Palatinis Braclauiensibus, Generalibus Podoliæ, Camenecensibus, Laticouiensibus Præfectis, eas mihi luce clarius ostentant. Si obsequium Reipublicæ causâ, multis in locis vltro oblatum venabor, protinus intuitui sese offerunt, IACOBVS Pocillator Podoliæ, IOANNES Succamerarius Haliciensis, & CHRISTOPHORVS POTOCII, amantissimi fratres; Sponsæ le-

ctissi-

ctissimæ Patrui; Præstò est Illustrissimus NICOLAVS POTOCIVS Palatinus Braclauiensis, Copiarum Regni Campestrium, Niznienfis, Cercasiensis Præfectus, Hector Polonus; Domitor Cosacorum, quorum impios contra Rempublicam insultus, vt recens omnium tenet memoria, non minus forti quam magnanimo compescuit pectore; barbariemque feram, dominandi cupiditate inflammatam, velut Tamerlanes Baiazetem, duræ inclusit seruituti. Iulio Cæsare haud inferior de quo Lucianus

Stetit aggere fulti
Cespitis, intrepidus vultu, meruitq; timeri,
Nil metuens.

SAt est si STANISLAVM Exercitûs Regni Tribunum, PETRVM Palatinidem, & alium PETRVM etiam Palatinidem Braclauienses, Camenecensem, Laticouiensem Præfectum, Equitum Magistros, ANDREAM Aulicum S.R.M cæterosque ob magnitudinem rerum gestarum, quos longū esset recensere; fortes viros & optimos Ciu s vocauero: quo niam mites sese exhibent in rebus tranquillis, feroces in periculosis, non aliter quam Scæuola, qui teste Valer: Max: *Vt in rebus serijs Scæuolam, ita in scurilibus hominem agebat.* Iam pridem tam Illustres domos, similitudo morum amicitiæ mater coniunxerat, quæ externi non appetentes honoris, totas sese ad tutandam Reipublicæ salutem deuouerunt, & loca hostium incursui obuia, adinstar leonum qui saxosis delectantur rupibus, obsederunt. In hac virorum & virtutum feracissimâ prosapiâ videre licet KALINOVIOS, RADIVILOS, KAZANOVIOS, TARNAVIOS, LESCZYNIOS, WOLOWICIOS, cæterasque principes domos, nexu affinitatis plusquam Gordio nodo coadunatas. Profectò fortiorem Sciluri aduersus impetentium potestatem, tot insignium virorum cognatione iuncta conspiratio, ostendit dexteram; cum iam non octuaginta filij per fœdus matrimonij, sed innumeri parentes, ad inexpugnabilem descenderunt concordiam: quam Antisthenes quouis muro firmius munimentum affirmare non dubitauit. Nec ipsi Fa-

 bij,

bij, quos trecentos vna die Veientes deleuerunt, magnæ erunt apud posteros admirationis, ob numerosam Familiæ suæ propagationem, & inuictam quandam animi magnitudinem, cui confisi, spretis Romanæ militiæ suppetijs, solos se sufficere ad quosuis hostium insultus reprimendos, iactitabant: cum illorum vnicuique seruiat triste Traiani ob diuersas clades varijs in locis acceptas suspirium. *Quam infelix sum, qui ijs qui coronam mihi, ego calamitates attulerim.* Non his aduersæ fortunæ tenebris, luna cum stellis obfuscata fuit vnquam, quinimò ob cruentas in luna Otomannica crebro factas eclipses, mirifice vniuersum Poloniæ Regnum illustrauit. Admirandum enim fortitudinis & ingenij specimen non à humanis sed diuinis proficisci viribus, maiores nostri meritò existimabant; vnde cælesti virtuti, cælestia attribuebant insignia. Inuicta crux, inuictis cedebat heroibus, hac firmatus Constantinus Magnus, nunquam hosti terga dedit, atque exigua manu suorum, ingentes Maxentij copias ad internecionem deleuit; propterea trinam crucem semper venerabatur: sub hoc signo Heraclius contra filios Cosdroes Persarum Regis, feliciter dimicauit; Trina indicante cruce Constantinus Tiberius Orientis Imperator, supra mille auri centena adinuenit. Cessit magnanimæ Domui POTOCIORVM Imperatorium Insigne, & quod olim eidem Constantino Magno stellis coruscans, in spem futuræ victoriæ apparuit, hoc ipsorum astrorum regina decoratum, hodie ad spectandum nobis proponitur. dum Illustris LELIVITARVM Prosapia, suam lunam aurora micantem ad PIELAVITARVM gentem accommodat. Resplendet inter victrices PIELAVAS, non aliter vt luna inter stellas minores Noua Nupta, quæ à teneris Optimæ Parentis cura educata, nil aliud quam pietatem, pudicitiam, modestiam, temperantiam, cæteraśque ipsâ Lucretiâ dignas virtutes didicit meditari. Non opus habet Lentula ad castitatem, Turia ad fidem, Alceste ad charitatem, Cornelia ad prudentiam, Portia ad grauitatem, cum eorum omnium magnum ex carissima Matre, Illustrissimi verò MARTINI KALINOWSKI Palatini Czerniechouiensis Sorore dilectissima, sumpse-

sumpserit, & in dies sumit incrementum. Præstantiorem multò dotem ex auitis paternisque virtutibus collegit, quam antiquitas Germanorum censuit, quæ vxori ducendæ boues iunctos, frenatum equum, & scutum, cum frameâ gladioque, mittere dotis nomine consueuerat. Nam cum hæc duram redoleant austeritatem.

Virtus repulsæ, nescia sordidæ.

FElix profectò Halicia quæ Te prima omnium Illustris SIENIAVI Nuntium Terrestrem, ad Comitia generalia, sub Serenissimo VLADISLAO IV. feliciter regnante, biennio ante Warsauiæ celebrata vidit: sed longè felicior Illustrium virorum, agminatim Podhayce confluentium cætus, qui Te luce hodierna non sine magna voluptate Sponsum conspicatur. Modo primum effusus in POTOCIOS Maiorum Tuorum multò ante conceptus affectus, qui eos non solùm in vitâ, sed etiam post fata comites & tutores exoptârunt habere, ad gratam descendit remunerationem: & illæ dexteræ Sacramento militiæ obligatæ, semoto paululum marte, exoptatâ animorum firmantur coniunctione. Beatum Te illæ ad cœlestem mentium sedem euocatæ, Parentum Tuorum manes intelligunt, quòd ad suam stirpem ex ea Domo, quam in albo suorum habebant, nouam Pyrrham vti nouus Deucalion, assumpseris restaurandam. Nec dubia spes est quin cara soboles, immortalem ob res præclarè gestas, à mortalitate prosapiam sit vindicatura; & suauissimos Sponsos, Charissimam Auiam, Optimos Parentes, florentissimos Auunculos, genialibus delicijs. Deo duce & auspice in longam annorum seriem repletura.